



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 69. Gloriosa Marchionis Spinolæ expeditio in Juliacensi Ducatu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

fit factururus, etiam ante hanc restitu-  
tionem promittere paratus esset, nihil  
se unquam adversus Brandenburgicos  
moliturum, sed pactis ac transactionibus  
arcem & omnia ad Juliacensem Regio-  
nem pertinentia futuro legitimo succes-  
sori integre conservaturum, cunctaque  
communi familiaritatis jure administra-  
turum, obtento ad id Cæsaris aliorum-  
que, quorum interest, Principum con-  
sensu. Verum hæc omnia pacis confi-  
lia everterat immodica ditones latius  
protendendi cupiditas.

## §. LXIX.

*Gloriosa Marchionis Spinolæ expe-  
ditio in Juliacensi Ducatu.*

Cum igitur ex Brandenburgensium per-  
tinacia novæ indies concitarentur  
turbæ, Mathias Cæsar & Philippus III.  
Hispaniæ Rex pacem, quam concordiæ  
pactis obtinere haud poterant, armis  
extorquere decreverunt: quocirca Al-  
berto Belgii Principi, atque Archiduci  
negotium dabant, ut Neoburgico Duci  
validam præstaret opem. Hic itaque  
numerosum contrahit exercitum, cui  
Ambrosius Spinola Marchio auspiciis &  
voluntate Hispaniæ Regis præfectus,  
Rhenum dextera, lævaque copiis suis  
ac victoriis percurrit, & primo quidem

A a 3

im-

Sæc. XVII.

A. C. 1614.



Sæc. XVII. impetu Marcodorum occupat, maxi-  
 A. C. 1614 mamque partem pro Duce Neoburgico  
 munitas urbes, arces & oppida occupat,  
 traditque. In Rheni ripa læva quidem  
 Orsoyom: in dextera vero Wesaliam die  
 septimo Septembris tertio obsidionis die  
 deditione cepit, urbemque Hispano &  
 Belgico milite munivit. In cisrhenana  
 Regione Tuisburgum seu Teutoburgum  
 in suam redegit potestatem, necnon  
 Rhenobergam immisso valido præsidio  
 occupavit. In Transrenana vero, qua  
 ditiones Juliacenses, Mosam inter &  
 Rhenum, in obliquum protenduntur,  
 præter Berchemum ad Erpen fluvium,  
 Casteram & Grevenburgam armis suis  
 subjecit, omnibusque his urbibus Hi-  
 spanicum præsidium imposuit. Mul-  
 heimium vero destructis aggeribus,  
 fossisque repletis, ejectisque incolis, qui  
 Cæsareæ Majestati obsistebant, funda-  
 mentis evertit, ita Imperatore Mathia  
 mandante. Neoburgicus etiam Dux  
 cum sex peditum millibus, & octingen-  
 tis Equitibus Machemium, Mandav-  
 viam, Ellersfeldiam & Burgum occu-  
 pata præsidiis firmabat. Interea autem  
 nequaquam otiosus steterat Mauritius  
 Nassovius, qui tamen die sexta Sep-  
 tembris cum suis Batavis progressus,  
 non sine animi mœrore Wesaliam jam-  
 jam a Spinola captam comperit, nil si-  
 bi



bi reliquum cernens, præter Embricam, Sæc. XVII.  
 Gochium, Gennppam & Crannenbur- A. C. 1614.  
 gum ditionis Clivienfis oppidula, quæ  
 in Brandeburgici fidem adegit, cum e  
 contrario Spinola Xantem urbem alte-  
 ro lapide Vefalia diffitam occuparet.  
 Certabant Spinola & Mauritius mira  
 urbes præripiendi celeritate, nec ho-  
 stis in hostem, sed duntaxat in civitates  
 Brandeburgensi aut Neoburgico vacuas  
 pugnare videbantur, atque ambo Prin-  
 cipes bellandi arte hæctenus non audita,  
 ne pactas ante quinquennium inducias  
 violarent, tam sollicitè cavebant, ut  
 si forte vel unicus miles Hispanus dice-  
 ret, quod urbem aliquam in possessio-  
 nem accipere a Spinola iussus esset,  
 Mauritius vim adhibere non auderet,  
 idem vicissim obsequium reddente Spi-  
 nola: incruentis hisce victoriis demum  
 Spinola pro Neoburgico, & Mauritius *Caraf. Germ.*  
 pro Brandeburgensi totam Juliacensem *Rest. pag. 51.*  
 ditionem absque ullo utriusque Princi-  
 pis emolumento occuparunt: tandem  
 vero Rhenus violentius exundans, cœ-  
 lique niviosior tempesta præfestinate su-  
 perveniens utrumque Belliducum ad hi-  
 berna, & expeditionum cessationem  
 compulit, postquam de concordia inter  
 ambos hujus ditionis Competitores fru-  
 straneo successu die duodecima Novem-  
 bris Xanti actum esset.

A a 4

§. LXX.